Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift



et quedam uerborum instantia diu non manet in sententia.
si putat in multiplicatione sermonum effugere se posse
peccatum. cum enim nec preteritorum meminerit. nec futura
cognoscat. et ignorantie tenebris uolunt falsam sibi
scientiam repromittens. in eo doctum. in eo se putans esse
sapientem si uerba multiplicet. Potest hoc et de hereticis accipi quod prudentium uirorum dicta non capiunt. sed se
ad disputationes contrarias preparantes et inuicem et fine
loquendi uanitate. tumultu. errore euoluunt.
et eum nihil sciant locuntur plura quam norunt. Labor
stultorum affliget eos qui nesciunt ire in ciuitatem. cum sapio
ribus. et iam hos iunge uersiculos. aut generaliter de omnibus stultis qui ignorant dm. aut specialiter de hereticis
disputantes. Lege platonem. aristotilis euolue uersu
tias. zenonem et carneadem diligenter inuere. et probabis
uerum esse quod dicitur. Labor stultorum affliget eos. Veritatem
illi quidem omni studio quesierunt. sed quia non habuerunt ducem et peritum ministrum. et humanis sensibus ratus
sunt se comprehendere posse sapientiam ad ciuitatem
minime peruenerunt. De qua in psalmo dicitur. Dne
in ciuitate tua imaginem eorum dissipabis. Omnes enim
umbras et diuersas imagines atque personas quas sibi in ua
rius dogmatibus induerunt. in urbe sua dns dissipauit.
De qua alibi scriptum. flumina impetus letificant ciuitatem
dei. et in euangelio. Non potest ciuitas abscondi supra montem
posita. et in esaya. Ego ciuitas firma. ciuitas quam obpugnatur: siquidem hanc ueritatis et sapientie ciuitatem cum
firma sit et robusta omnes sapientes seculi et heretici in
pugnare conantur: et quod de philosophis dicunt hoc